Fragmentarium

et vera dilectio, primum ubi nec(?) dilectio dei. Quia enim non diligit deum quomodo diligit proximum tamquam
seipsum, qui quod est non diligit etiam seipsum? Et ipse iniquus. Qui autem diligit iniquitatem
non plane diligit, sed odit animam suam. Hoc ergo preceptum domini teneamus, ut nos invicem dili-
gamus, et quicquid aliud precipit faciamus, quoniam quicquid est aliud, hic habemus. Discernitur quippe ista dilectio ab
ea dilectione qua se invicem diligunt homines sicut homines. Nam ut discerneretur, adiunctum est: Sicut
dilexi vos. Ut quid enim nos dilexit Christus, nisi ut possimus regnare cum Christo? Hoc ergo et nos
invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus a ceteris qui non ad hoc se invicem diligunt,
quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum deum diligunt, ipsi se diligunt. Ergo ut se
diligant, deum diligunt. Non est hec dilectio in omnibus hominibus. Pauci se propterea diligunt ut
sit deus omnia in omnibus. ~~Expl[illegible] Incipit xxx[illegible] de eo quod dicit: Maiorem hanc dilectionem~~
Plenitudinem dilectionis qua nos in- ~~nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis~~
vicem diligere debemus, fratres karissimi, definivit dominus dicens: ~~Maiorem~~ hanc dilectionem nemo habet
ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quia ergo superius dixerat: Hoc est preceptum meum ut dili-
gatis invicem sicut dilexi vos, quibus addidit quod nunc audistis: Maiorem hanc dilectionem
nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Fit ex hoc consequens quod idem iste
evangelista Iohannes in epistola sua dicit, ut quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos
debeamus animas pro fratribus ponere, diligentes utique invicem sicut ipse nos dilexit, qui pro nobis
animam suam posuit. Hoc nimirum est quod legitur in proverbiis Salomonis: Si sederis cenare
ad mensam potentis, considerans intellige que apponuntur tibi, et sic mitte manum tuam, sciens
quia talia te oportet preparare. Que est enim mensa potentis nisi unde sumitur corpus et sanguis eius
qui pro nobis animam suam posuit? Et quid est ad eam sedere nisi humiliter accedere? Et quid est considera-
re et intelligere que apponuntur nisi digne tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum
ut scias quia talia oportet te preparare, nisi quod iam dixi: quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit,
sic et nos debemus animas pro fratribus ponere? Sicut enim ait et apostolus Petrus: Christus pro nobis passus
est, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius. Hoc est talia preparare. Hoc beati martyres
ardenti dilectione fecerunt, quorum si non inaniter memorias celebramus atque in convivio quo et ipsi saturati
sunt ad mensam domini accedimus, oportet ut quemadmodum ipsi et nos talia preparemus. Ideo quip-
pe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis
oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhereamus, quia impleverunt ipsi carita-
tem qua dixit dominus esse non posse maiorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt qualia de domini men-
sa pariter acceperunt. Neque hoc ita dictum sit quasi propterea domino Christo pares esse possimus si pro illo usque
ad sanguinem martyrium duxerimus. Ille potestatem habuit ponendi animam suam et iterum sume-
ndi eam. Nos autem non quantum volumus vivimus, et morimur etsi nolumus. Ille moriens mox
in se occidit mortem; nos in eius morte liberamur a morte. Illius caro non vidit corruptionem,
nostra post corruptionem in fine seculi per illum induetur incorruptione. Ille nobis non indiguit ut
nos salvos faceret; nos sine illo nichil possumus facere. Ille se nobis prebuit palmitibus vi-
tem; nos habere preter illum non possumus vitam. Postremo et si fratres pro fratribus moriantur, tamen in peccato-
rum nostrorum remissionem nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis. Neque in hoc quod imi-
taremur, sed quod gratularemur contulit nobis. In quantum ergo martyres pro fratribus sanguinem suum fuderunt,
hactenus talia exhibuerunt qualia de mensa dominica perceperunt. In ceteris autem que dixi, quamvis
omnia dicere non potuerim, martyr Christi longe impar est Christo. Quod si quisquam se non dico potentie Christi, sed innocen-
tie comparabit, non dicam alienum se putando sanare, sed suum saltem nullum habere peccatum, et si alia
avidior est quam capit, ideo salutis expositum multum est ad illum non capit tantum. Et bene quod ad ista
proverbiorum sermone quo id(?) contingit et dicitur quod si avidior es noli concupiscere ci-
bos eius. Fallaciter(?) enim ut nichil inde habeas quam ut tibi plus quam oportet assumas. Hec enim [illegible]

License: public_domain – Antwerpen, FelixArchief, WK # 7, upper flyleaf recto – Augustinus Aurelius, <i>Tractatus in evangelium Iohannis</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-t3r1/10457/76298)